

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**L. Annaei Senecae Tragoediae**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Amstelodami, 1662**

Actus primus

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-770](#)

filium esse Laii, quem interfecerat, & Iocasta, quam uxorem duxerat. Effusis itaque præpudore atque ira oculis in exilium abit. & Iocasta se gladio confedit.

## ACTUS PRIMUS.

OEDIPUS. JOCASTA.

Oedipus de pestilentia sevitia conqueritur.

**G**am nocte Titan dubius expulsa redit,  
Et nube mœstum squalida exoritur jubar,  
Lumenque flamma triste luctifica gerens  
Prospiciet avida peste solatas domos,

Vers. 1. *Pulsa dubius effulgit dies,* ] Quidni putius sit germaniusque : *Iam nocte Titan dubius expulsa redit?* quum sic quoque ἀνύψων ille Etruscus. Sed, inquit vit egregius, ambigo, an possit dici *dubius* Titan, pro eo, qui non videtur. Faciat: at non ambigimus nos *dubium* hac mente dici omne, quod in certum, dubium & vix noscendum sui speciem faciemque præbet. Sic *dubii monter*, qui jam vis oculis apparent, Lucano lib. 3. & *dubios cernit vanescere montes*. Hercule Furente: *Tenuis relitte lucis a tergo nitor, Fulgorque dubius soli afflitti cadit*. Sed, ait, aliud *tux*, aliud *Titan*. Scimus: sed non propter ea si quid potest dici de luce, id omnis disconvenit sibi. *Sol dubius* est nibibus pretentus itaque interpolatus, ut dubium relinquat intuensibus, an hic sol sit. Virgilii 3. Æneid. *incertos eaca caligine soles*. Ovidius 2. metam. *ut glacies incerto saucia sole*. Iuvenalis Sat. 5. *Sideribus dubius, aut illo tempore, quo se Frigida circumagunt pigris saracca Boot.* Ovidius de pestilentia Æginam vastante: *Principio cœlum spissa caligine terras Texit, & ignavos inclusi nubibus astus*. Pergit: Mox, fateor, non parum inanæne repetitur vox dies; verum eodem sensu repetitur vox, quæ & hic una comparet. Diversatio est: nam utrum bella sit vocis

repetitio, an insuavis, ex sensu est jucundum. Si verum patimur, scribendum & secundo versu, *mæstus*: ut æque Titan dicatur *mæstus* *jubar*, quam *dubius*, quam *triste lumen gerens*. Sic in Hippolyto: *turbidam frontem gerens Et mæsta vultus*. Ille Titan, inquit, peracta nocte sic effulgens, ita exortus & comparatus, jam prospicer (nam ita quoque Flot. & Voss.) orbatas lucis pestifera domos: & dies palam faciet stragem, quam proxima nocte passi sumus. Frustra quoque tendunt novem isti pro suo *jam cernet*. Gronovius.

3. *Triste luctifera gerens*] Non tantum Delrianus N. (hoc est, si licet dicere, meritus, ut nomen ejus vivat, G. Fabricius y edidit, *luctifica*: sed & sic optimi codicum, sic agnoscit scriptum Bernardinus Marmites in Notis. Hercule Furente Megera dicitur *luctifica manu*, Hippolyto *vox luctifica*. Et amant sic terminata hæ tragediae. Sic rursus in Hercule Furente: *superbifica manu*, & *monstri colla terrifici*. In Phœnissis Oedipus *incepsicus*, *exscrabili*. In Hippolyto Phœdra mentem jubet esse *cæstificam*. In Medea *sacrifice preces* & *nidiscum ver*. Infrà hac fabula, *tatifica cœlī vitia & luctificus aufer*. Id.

4. *Solatus*] Vidiuitas, defluitas incolis. *Farn.* Vide Gronovii 4. Obs. 21.

Stragemque, quam nox fecit, ostendet dies.  
 Quisquamne regno gaudet? ô fallax bonum,  
 Quantum malorum fronte quam blanda tegis!  
 Ut alta ventos semper excipiunt juga;  
 Rupemque saxis vasta dirimentem freta,  
 Quamvis quieti, verberant fluctus maris:  
 Imperia sic excelsa Fortunæ objacent.  
 Quam bene parentis sceptrâ Polybi fugeram,  
 Curis solutus, exul, intrepidus, vagans!  
 Cœlum deosque testor, in regnum incidi.  
 Infanda timeo; ne mea genitor manu  
 Perimatur. hoc me Delphicæ laurus monent,  
 Aliudque nobis majus indicunt scelus.

5

10

15

Est

5. *Stragemque,*] Cadaverum corum qui perierunt hac nocte. *Farnab.*

8. *Vt alta*] Persant altissima venti. vid. vers. 1125, Hippolyt. *Idem.*

12. *Parentis*] Sic enim putabat. Oraculo itaque accepto, fore ut patris à se necati thalamos confendens feedaret, Corintho in exilium profugit, cætera vid. v. 243. *Thebaid.* *Idem.*

14. *In regnum*] Præterspem & votum in regnum hoc Thebanum devenerunt. *Idem.*

16. *Delphicæ laurus*] Oraculum Apollinis Delphici, Laurus autem Apollini sacra. *Clavis laurus.* μερλένγη φύλον venturi præstia. Laurus, in igne cœptipan faulsum portendere, tacita, inauspicatum credebatur: nec non folia pulvillo subiecta credebantur vera conciliare somnia, ut & manducata κύθεια δέσμη, unde vaticinantes dicti sunt δαφνηδός: quia & coronati præcinebant vates, & circa templum Delphicum Lauri copiose crescebant, infra vers. 228. *Idem.* Duo fuere oracula Delphica, sine quibus hæc fabula nequit intelligi, prius Laio de liberis sciscitanti, redditum in hanc sententiam: Poscere Laium liberos eisque filium nasciturum, à quo ipsum necari sata sanxissent. Id enim illi Pelopem

imprecatum, ob occisum à Laio filium, poterit accepit Oedipus; huic modi: Procul à templo Diis in usq[ue] proles abscede: qui necati à te patri thalamum conscedere, & tibi ex matre fratres precubia. priore tertius Laius natum Oedipum, pedibus ferro ignito foratis, scis objici mandavit: posterioris meu Oedipus Corintho in exilium profugit, & nolens, oraculo fidem fecit. *Deltrius.*

17. *Indicant majus scelus.*] Vix unus sibi Comelinus putavit norandum Mss. magnam partem & veruam editionem habere: *majus indicant scelus.* Quia enim Seneca in ea regione jambum fugit, recte transpositum putarunt. At nunc discas licet non temere fuisse: nam optime illi, *majus indicant scelus.* Verbo quo amat elegantet utri Seneca. De ira 3, 3. cum aliquis sit de illustribus philosophis, qui ira indicat operas. De benef. 2, 17. *Indixisti pecunie odium.* Epist. 51. *Indicendum est ulli locoodium?* Epist. 55. *Debilitatem nobis indixere deliciae.* Est propriè denunciare aliquid faciendum vel praestandum. Quintilianus Instit. Or. 7, 4. *Quod item accidit, si soror nuptias indicant pares gradu,* & si inter propinquos de idoneo quaratur. Sed prorsus, ut hic, *Lucanus*

Est  
Prò  
Tha  
Gna  
Hic  
Nor  
Part  
Nat  
Qua  
Cun  
Jami  
Nan  
Infe  
Mih  
Inte  
Def  
Ince

Lucan  
gna  
fas. G  
18.

Cæter  
fir d  
Oedip  
detrax  
quasi  
renaci  
Etenim  
penitus  
Iplius  
audier  
que ol  
ignatu  
rus. C  
hujus  
dipi s  
quam  
ret. I  
20.

Farna  
21.

507

Est majus aliquod patre mactato nefas?  
Prò, misera pietas! eloqui fatum pudet.  
Thalamos parentis Phœbus & diros toros  
Gnato minatur, impia incestos face.  
Hic me paternis expulit regnis timor.  
Non ego penates profugus excessi meos.  
Parvum ipse fidens mihi met in tuto tua,  
Natura, posui jura. cum magna horreas,  
Quæ posse fieri non putas, metuas tamen.  
Cuncta expavesco, meque non credo mihi.  
Jamjam aliquid in nos Fata moliri parant.  
Nam quid rear, quod ista Cadmeæ lues  
Infesta genti, strage tam late edita.  
Mihi parcit uni? cui reservamur malo?  
Inter ruinas urbis, & semper novis  
Deflenda lachrimis funera, ac populi struem,  
Incolumis adsto. scilicet Phœbi reus

## Spe-

Lucanus lib. 2. manifestaque bellii Si-  
gna dedit mundus, &c. Indixitque ne-  
fia. Gronovius

18. Est majus aliud] Flor. aliud.  
Ceterum neque laudo qui ex cancio  
hic diverbunt faciunt & Iocasta  
Oedipo interficiem ponunt, neque  
detraxerim notam interrogatoriam  
quasi hoc si magis stupentis & hor-  
rentis quam querentis, ut loquantur.  
Etenim ipsum, quod querit, est stu-  
pentis & horrentis, mirantique sua  
Ipsiis dicta, quæ scriebat quenvis sic  
audientem in primo mitaturum, eo-  
que obloquentis sibi, quod quisvis alias  
ignatus rei dicuntur erat vel cogitatu-  
res. Censeo autem magnam partem  
hujus principii Soncam à persona Oe-  
dipi sola pronuntiati voluisse, ante-  
quam Iocasta in prosceno compare-  
ret. Idem

20. Thalamos] Modo vers. 12.  
Farnabius.

21. Face.] Vid. Thebaid. 243. &  
107. Idem,

23. Non ego] Non mutabam so-  
nia ppter felius aliquod admissum  
aut pusillanimitatem; sed ne quando  
(ut prædictum erat) naturæ jura vio-  
larem per particidium aut incestum.  
Idem.

28. Jamjam] Etiam in hac peste vi-  
deatur fata magnum aliquod malum  
mihi machinari, cum mihi uni parca-  
tur. Idem.

29. Cadmeæ] Thebææ à Cadmo  
conditore. Idem.

32. Semper] Propter continua fane-  
ra. Idem.

34. Incolumis adsto, scilicet] Sic  
non è Melissio illo optimo; sed ex Or-  
teliano Lipsi (notatum ad marginem  
editionis Andwerpiæ, quod postea  
omiserunt) introducunt est, quicum  
faciunt due Pall. cæteri, Incolumis er-  
go scilicet, ut edebatur. aut, Incolumis  
ero scilicet. Mogunitius: Incolumis  
ego tu scilicet. Hæc omnia provenie-  
runt ab hominibus temere arque indo-  
cte supplentibus, quod deerat. Delrius

Sperare poteras sceleribus tantis dari  
Regnum salubre? fecimus cœlum nocens.

Non aura gelido lenis afflatu fovet  
Anhela flammis corda: non Zephyri leves  
Spirant: sed ignes auget æstiferi Canis

Titan,

conjectit: *Incolumis ergo tu licet*. Gruterus *Incolumis ero*. Melior natio & vetustatis reverenter elegant & scilicet, versumque habent cursum: *Incolumis ergo tu Phœbi reus*. Defectus in libris etiam antiquissimis sincerissime que frequens. Nimur secundam vocem hauc est ultima literæ vocis primæ, & scribendum: *Populi fruēm Incolumis unus?* Dicitur admirando & interrogando per ellipsis verbi substantivi. Dein: ergo tu Phœbi reus *Sperare poteras*. Gronovius. Ergo tu] Quasi vero Phœbi oraculo in tanta sceleris damnatus salubre regnum sperare audeam: imo scelere meo corruptus est aëris. *Farnabius*.

36. *Fecimus*] Sceleris infra v. 51. & Octav. vers. 231. *Idem. Cœlum nocens.*] Aëris autem corruptum à terrenis & inferioribus exhalationibus Endemis. *Idem*. Sequitur pestis descriptio, quales habentur apud Sophoclem in Oedipo tyranno, Thucydidem lib. 2, Lucretium lib. 6, Virg. 3, Georg. Manilius lib. 1, Ovidium 7, Metam. Lucanum, lib. 6. Silius lib. 14, Capitolinum in M. Antonino Philosopho, Herodianum lib. 1. Ammian. Marcellinum libro 19, denique Homerum Iliad. *æstiferi canis*

37. *Non aura*] Pestis orta, à maligna qualitate ex certa siderum configuratione, vel à vehementi temporum tempestatumque mutatione, unde qualitatum exuperantiae & inqualitates Epidemiarum, quæ omnia cum hic concurrant, gravis est pestilentia. *Farnab.*

38. *Anhela*] Aura non restigerat corda æstuantria, sed & pestifera aura pariter cum spiritu in pulmones hauita in cor penetrat, quod affectioni præparatum propter plethoram, cacochy-

miam, vel obstructionem labefactat arteriarum spiritum. *Idem.*

39. *Sed ignes auget æstiferi Canis Titan,*] Liber primarius: *igne friget, subeft aliiquid, sive id sit, igne fervet, sive ignes avit*: Gronov. *Ignes*] Quin & Sol primam Leonis partem ingens Canis fidus ardentissimum, quod exoritur 29. Gr. Cancri, æstum & calorem adauget. *Farnabius*. *Æstiferi Canis*] Orto ergo Cane seu Sirio haec pestis viguit, nam aī, solem tunc in Leonem primum ingressum. Plinius: *Ardentissimo æstatis tempore exoritur Canicula fidus, sole primam partem Leonis ingredienti*, lib. 2. cap. 47. menser ego nostri; Sed vestus Leone, auget æstum & calorem canis,flammam suā nos aduentus, verum id est, nam Calpurnius Baſilius tradit, cum Sol ad Sirium accederit, Sirii calorem duplicari, & languore affici corpora. *Sirium* Grace propter flammæ candorem, caniculam Latine vocari. inde *dies canicularis* dici. Germanicus, de canicula: *Cum radios Solis tergit, accenditrus æstu*. Plinius, effectus miro hujus sideris recenter lib. 2. cap. 40, & lib. 9. cap. 16, multa etiam ex Timosthene & aliis, Scholia festae Apollonii in lib. 2. v. 518. De nomine non convenit, nam sape canis cum caniculâ confunditur, cum vere differant, nam duo sidera canum. Vnum canis major, alterum canis minor. *Minor*, vocatur Graeco nomine Procyon, à Manilio libro 5. Firmico lib. 8. cap. 9. Plinio lib. 18. cap. 28. & Avieno in Atatius versione, à Cicerone Latine *Anticanis*, prior enim oritur & majorem prævenit, hic proprie dicitur *Canicula*. *Major*, proprie loquendo appellatur *æstiferi Canis*, idem est Sirius, de quo noster, etiæ fortassis utrum-

Tita  
Des  
Aret  
Et ti  
Obs  
Trist  
Null  
Sed g  
Obte  
Infer  
Adul

utrum  
xus sit.

40. *Farnab.*  
41. *gida in  
nullis,  
facere  
quod c*

42. *Theb.  
Ilsmen  
fluit te*

44.  
45.  
ut He  
rato.

Mog, v  
quid i  
qui pra  
notis,  
recipia  
mobil  
dus li  
re diu  
sub Ior  
tus est  
ductib  
credi

47.  
female

Farnab  
49.  
ardore

- Titan, Leonis terga Nemæxi premens. 40  
 Deseruit amnes humor, atque herbas color.  
 Aretque Dirce. tenuis Ismenos fluit,  
 Et tingit inopi nuda vix undâ vada.  
 Obscura cœlo labitur Phœbi soror;  
 Tristisque mundus nubilo pallet novo. 45  
 Nullum serenis noctibus sidus mictat:  
 Sed gravis & ater incubat terris vapor.  
 Obtexit arces cœlitum ac summas domos  
 Inferna facies. denegat fructum Ceres  
 Adulta: & altis flava cum spicis tremat, 50

Arente

utrumque sidus uno nomine comple-  
 xus sit. *Deltrius.*

40. *Leonis* ] *Hercul. Fur. vers. 225.*

*Farnabius.*

41. *Deseruit* ] Vnde & stella ful-  
 gida in Canis siderे Sirius dicitur non-  
 nullis, à *Cesævæ*, id est, siccare, are-  
 facere, quod alias *Δέα Φερόπινες*,  
 quod canes pœsti hincere faciat. *Id.*

42. *Dirce.* ] *Hercul. Fur. vers. 915.*

*Theb. v. 20. & v. 126. Idem. Ismenos*]  
*Ismenos de quo in Hercul. Fur. v. 333.*  
 fluit tenuis. *Idem.*

44. *Phœbi soror:* ] Luna. *Idem.*

45. *Tristisque mundus*] Cœlum,  
 ut *Hercul. Fur. vers. 18.* & alibi non  
 taro. *Id.* *Mundus nubilo pallet novo.* ]  
*Mog. vano. Lipsianus & Flor. pallet die.*  
 quod reicit *Gruterus*, quia versu &  
 qui præcedit & qui sequitur fit mentio  
 noscitur, non diei. *Vix me contineo*, quin  
 recipiam conjecturam *Dan. Heinßi*:  
*nubilo pallet Iove.* id est, aëre. *Ovi-*  
*dius lib. 13. Cretam tenere locique Fer-*  
*re diu nequiere Iovem.* *Horatio: manet*  
*seb Iove frigido Venator.* Id interpreta-  
 tur *Grato* *monstrum*. *libro 5. Fine*  
*ib. 18. cap. 11.* *one, à Cœlio*  
 or enim orientis  
 hic proprius  
 proprie *les*  
*Canis, idem*  
*er, edis formis*

47. *Sed gravis, &c.* ] *Tenebræ in-*  
*fermales*. vide *Hercul. Fur. vers. 703.*

*Farnabius.*

49. *Denegat* ] *Segetes* jam spicatae  
 ardore exarescunt & rubigine torren-

tut. *Idem. Ceres, Adulta & altis flava*  
*cum spicis cremat.* ] *Hac distinctione*  
 putant viri docti se rem factam habere.  
*Ipfa Ceres*, inquit ὡδίνα, *jam adul-*  
*tum & altum & flavum culnum cum*  
*ipfis spicis succedit & adatur.* *Cereris*  
*ut video exedendum est, quod Phœ-*  
*bis intrivit.* *Gruterus* cautius, ut mi-  
 nus appareat virtutum & scripturae hujs  
 & interpretationis: *Ceres* omisit cu-  
 ram segetum, atque ea, quæ jam ado-  
 levere, suffocantur ab æstu: atque  
 istud quia jam placuerit uni, at se tan-  
 to magis amplecti tali suffultum tibi-  
 cine. At quis pati posset, *adulta &*  
*flava cum spicis*, sic dici, ut frumenta  
 intelligantur? *Nihil sani.* *Scribe: de-*  
*negat fructum Ceres Adulta: & altis*  
*flava quam spicu tremat.* *Arente culmo*  
*tristis emoritur seges.* *Ceres* *adulta* (quod  
 ineptum dictum putabat *Gruterus*) est  
 eadem quæ *flava seges*, ipse fruges jam  
 foenus promittentes agricolis. *Eæ* *eis*  
 adoleverint, & jam florantes pondere  
 atque aura tremulos vibrant culmos,  
 nimio vapore sideris æstivi culnis arc-  
 escentibus senescunt & emoluntur.  
 Naturaliter evenit, ut quin spicae  
 meis inhotruit, verbo Virgilii, *lacet*  
 vix illa spirante aura leniter agitur  
 & se motet, gravidas spicas sufflent  
 tubis longis & gracilibus culnis. *Ho-*  
*merus: Ia. β. Ως δ' ὄτε κινήσε-*  
*φυεθεὶς θεὸς λαῖον ἐλθαίν Λάσσος* *Θ*

Arente culmo sterilis emoritur seges.

Nec ulla pars immunis exitio vacat:

Sed omnis ætas pariter & sexus ruit,

Juvenesque senibus jungit, & gnatis patres

Funesta pestis. una fax thalamos cremat:

Fletuque acerbo funera & questu carent.

Quin ipsa tanti pervicax clades mali

Siccavit oculos: quodque in extremis solet,

Periere lachrimæ. portat hunc æger parens

Supremum ad ignem: mater hunc amens gerit;

Properatque, ut alium repeatat in eundem rogum.

Quin luctu in ipso luctus exoritur novus,

Suæque circa funus exequiæ cadunt.

Tum propria flammis corpora alienis cremant.

Diripitur ignis. nullus est miseris pudor.

Non ossa tumuli sancta discreti tegunt.

Arfisse satis est. pars quota in cineres abit?

Deest terra tumulis. jam rogos silvæ negant.

55

60

65

Non

*Epitaph. Et, Ia. ψ. αστεί τε θελητούς ερέσι Δημοσίου πατέρος, ὅτε φερόταν δέσποιν. Herc. Fur. adulta leni fluctuat λεπύρῳ seges.* Gronovius

54. *Iuvenesque senibus*] Lucretius, Examini pueri super examinata parentum. Corpora nonnunquam posses, retroque videre. *Matribus aut patribus natos super edere vitam.* Deltrius.

55. *Vna*] Eodem rogo cremantur matutis & uxoris. Farnabius.

56. *Fletuque*] Nemo supererit qui defeat funera. qui lacryment desunt Idem.

58. *Siccavit*] A vehementi morbi incendio, sive quod jam malis obduri, cum lacrymas inter symptomata & notas pestis ponant medicorum filii. Idem.

59. *Parens*] Pater & ipse æger. Idem.

60. *Supremum*] Rogum. Idem.

61. *Vt alium regerat in eundem*] Et hic cum Lipsiano optimus codex: ut alium repeatat in eundem rogum. Sic Hercule Furente Charon: oñere vacuam littori puppem applicans Repeatat Vmbras, nempe in suam cymbam. Suetonius Octavio: *Trajecto in Siciliam exercitus, cum partem reliquam copiarum continentis repeperet.* Gronov.

63. *Sueque circa*] Qui funus curabant, sequebanturque, in ipso officio effe. endi moriuntur. Farnabius.

64. *Alienis*] Alteri cadaveri inclusis. *Ei jam reverentia nulla est, Doneque rogū pugnant, alienisque ignibus ardent.* Idem.

66. *Non ossa*] Si agulis tumulis utrifice non conduntur sancto ritu finiguli. Idem.

67. *Arfisse*] Vslulata tantum sunt corpora non cinerata. Idem.

68. *Deest*] Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes. Idem.

70. Ca-

No  
Ca  
Aff  
Ma  
Pat  
Fia  
O f  
Ne  
Mo  
Co  
Ta  
Infa  
Ve  
Gr  
Ad  
Sta  
Ho  
Ha  
Oea  
Vi  
Si t  
Ma  
Au  
Ne  
  
dent  
ribus  
Auxi  
ad  
cata  
77  
advoc  
77  
cata  
77  
non  
ad  
quo  
ver  
81

Non vota, non ars ulla correptos levant.  
 Cadunt medentes. morbus auxilium trahit. 70  
 Affusus aris supplices tendo manus,  
 Matura poscens fata, præcurram ut prior  
 Patriam ruuentem: neve post omnes cadam;  
 Fiamque regni funus extremum mei.  
 O sœva nimium numina! ô fatum grave! 75  
 Negatur uni nempe in hoc populo mihi  
 Mors tam parata? sperne letali manu  
 Contacta regna. linque lachrimas, funera,  
 Tabifica cœli vitia; quæ tecum invehis  
 Infaustus hospes: profuge jamdudum ocius 80  
 Vel ad parentes. *Joc.* Quid juvat, conjux, mala  
 Gravare questu? regium hoç ipsum reor,  
 Adversa capere: quoque fit dubius magis  
 Status, & cadentis imperii moles labat;  
 Hoc stare certo pressius fortè gradu. 85  
 Haud est virile, terga Fortunæ dare,  
*Oed.* Abest pavoris crimen ac probrum procul,  
 Virtusque nostra nescit ignavos mictus.  
 Si tela contra stricta, si vis horrida  
 Mayortis in me rueret; adversus feros 90  
 Audax gigantes obvias ferrein manus.  
 Nec Sphinga cœcis verba ne&tenterem modis

## Fugi.

70. *Cadunt*] Inque ipsis seva me-  
 dentes Erumpit clades, obsuntque auto-  
 ribus artes. *Farnabius.* *Auxilium*]

me regiam puto & quanimitatem & ad-  
 res adversas bene præparatum pectus.  
*Idem.*

71. *Affusus*] Ego itaque (inquit)  
 advolutus ad atas supplex. *Idem.*

83. *Quoque fit dubius magis*] Ma-  
 nus illutris: Forte, sit. Vix putem ne-  
 cessé. *Gronovius.*

77. *Tam parata?*] Tam ad manum  
 cæteris. *Idem.*

85. *Stare certo*] Metaph. à militi-  
 bus, quibus loco in acie occupato ce-  
 dere est inglorium. *Farnabius.*

79. *Tabifica*] Suprà vers. 36. *Id.*

91. *Gigantes*] Fuerint gigantes nec-  
 ne, disputant Hieronymus Magius in  
 Miscellaneis, & Ioannes Goropius in  
 Originibus. *Delrius.*

81. *Vel ad parentes*] Emphasis. Si  
 non alio patet misero profugum, vel  
 non Polybū & Meropem profuge,  
 quos suos esse putabat parentes. suprà  
 vers. 12. & *Theb.* vers. 245. *Idem.*

92. *Cœcis*] Ποικιλῶδες [Cœcis].  
*Theb.* vers. 120. *Farnabius.*

82. *Regium*] Virtutem ego maxi-

Fugi. cruentos vatis infandæ tuli  
Rictus, & albens ossibus sparsis solum.  
Cumque è superna rupe, jam prædæ imminens, 95  
Aptaret alas verbere, & caudam movens,  
Sævi leonis more, conciperet minas,  
Carmen poposci. sonuit horrendum. insuper  
Crepuere malæ: saxaque impatiens moræ  
Revulsit unguis, viscera expectans mea. 100  
Nodosa fortis verba, & implexos dolos,  
Ac triste carmen alitis solvi feræ.

Joc.

93. *Cruentos pestis infandæ tuli*] Lippianus & Florent. recte *vatis*. Ovidius lib. 7. & præcipitata jacebat *Immemor ambagum vates obscuras uarum*. Sophocles Oedipo Tyranno: *O's γ' ἔξελυ-  
χας ἀνικαδμειών μηλῶν Σκλη-  
ροῖς δοῦλος δεσμῷ ὃν πατεῖορδύ-  
Gronovius.*

94. *Albens*] Interfectorum, qui enigma non solvissent. Farnabius.

95. *Cumque è superbarupe*] Quod ex quibufdam nota Delius *superna*, præfert optimus librotum. Et profecto nihil vulgatum est, uincumque fuerint, qui interpretarentur. Gronov. *Præda*] Mihhi quem sperabat prædam. Farnab.

96. *Aptaret alas verbere, & caudam*] Lipsius de conjectura: *Aptaret alas, verbera, & caudam movens. Scutierius:* *Aptaret alas, verbera & caudam.* Vtrumque editum, cum extaret indubitatum Scaligeri: *Aptaret alas verbere, & caudam movens.* Silius lib. 2. *nouategmina latus Aptat concutens humeris.* Gronovius.

97. *Sævi leonis more,*] Qui viso conminus hoste Subsedit dubius, totam dum colligit iram: *Mox ubi se saeva stimulavit verbere cauda, &c.* Farnabius. *Concuteret minas;*] Florent. ut olim editum, & Delrianus, *conciperet minas, ut concipere verba, concipere preces, concipere iurandum, conceptu verbus jure dicimus.* Notaverat Delrius, se non mutare, eusi Venet. & Herb. con-

ceret, & notum leones scipios cauda flagellata, ut iram stimulent: cum subito agnus infidorum codicem per Gruterum interpolavit impressos, cum egregia nota. *Concuterit caude minas* sibi ipsi excitabat Sphinx, jam quasi sopitas, ut in silice flammæ. Sic necesse habent illudere ingenio suo, qui omnes nugas volunt interpretari. Gron.

99. *Crepuere*] Frendebat. Farnab. 102. *Ac triste carmen*] Scilicet: *Ἐπὶ δίπων ἐπὶ γῆς καὶ τέρψεων, ἐ-  
πὶ φυνής. Καὶ τέπον, αἷλον ἢ  
βολὴ μόνον ὁσιὸν γάιας Ερπιτ  
κινεῖται, αὐτὸς αἰθέρα, καὶ κατὰ πον-  
τον. Αλλ' ὥπτας τοις τλείσοισι ἐπει-  
γόμενον ποτὲ βαῖνην.* E' ista τέχνη  
γνωστην αφεωρετέλη πίδει. 103.  
id est: *Est bipes, est quadrupes in terra  
(solaque vox huic).* Atque tripes: mu-  
tat vocem solum, omnia campi. Inter  
que scrupunt, que celo & fluctibus er-  
rant. Ast ubi contendit pedibus jam plu-  
ribus; illi Deficiunt vires, & lentis re-  
bora nervis. Delrius. *Alitu*] Sphin-  
gem Echidnae & Typhonis filiam fabu-  
lantur, corpus canis, vultum pueræ,  
vocem humanam, alas avium, pedes  
leoninos habuisse; & obfuso monte  
Sphincio, Thebanis ænigmata propo-  
suisse, qua qui explicare non poterant,  
occidere solitam. cum vero suum sol-  
visset Oedipus, adeo ægre id monstrum  
tulisse, ut se de saxo præceps jecerit,  
copiosè ista narrant Apollodorus lib. 3.

Joc. C  
Licui  
Scep  
Oed.  
In no  
Pere  
Si qu  
Bibliot  
Palaph  
tam fab  
gem fac  
Athena  
dit, al  
alscripti  
de hom  
quadru  
to scipi  
103.  
sum ell  
tunc eff  
hoc me  
tem op  
104.  
sionem

O  
Resp  
Carp  
Mile  
Ausf  
Fige  
Cinn

110.  
vers. 9  
112.  
Theba  
ter illa  
oriund

*Joc.* Quid sera mortis vota nunc demens facis?  
*Licuit perire.* laudis hoc pretium tibi  
*Sceptrū,* & pereimpta Sphingis hæc merces datur. 105  
*Oed.* Ille ille dirus callidi monstri cinis  
*In nos rebellat.* illa nunc Thebas lues  
*Pereimpta perdit una.* jam superest salus,  
*Si quam salutis Phœbus ostendit viam.*

Biblioth. Higynus in Fab. cap. 151. &  
 Palaphatus, qui docet ex historia na-  
 tem fabulan, ut & Strabo lib. 9. Sphin-  
 gem facetè Anaxilas, in Iuvencus, apud  
 Athenæum, lens typum esse conten-  
 dit, alludens ad ænigma paullo ante  
 ascriptum. *Delius.* *Solvi*] Docui  
 de homine intelligendum, qui *infans*,  
 quadrupes; *vibipes*; *decrepitus*, aflux-  
 to scipione tripes. *Farnabius.*

103. *Quid sera?* Si ita vita pertae-  
 sum esset, expediam tamen morteni-  
 tum effugere voluisti, cur nunc regno  
 hoc meque ipsa potius premis, mor-  
 tem optas? *Farnabius.*

104. *Licuit perire.*] Amisisti occa-  
 sionem fortiter occumbendi, cum

ænigma Sphingis solvisti. nunc in-  
 casum optas mortem. capillatæ fronte,  
 occasio: præterite sivisti, occipi-  
 tium calvum non potes prehendere.  
*Delius.*

105. *Hæc merces*] Se ostendit. nam  
 locasta, & cum illa regnum, merces  
 intermixta sera. *Idem.*

106. *Ille*] Pepte hac poenas repro-  
 scit quod tum non petierim. *Farnab.*

107. *Lues*] *Sphinx.* *Idem.*

109. *Phœbus*] Solam sedandæ per-  
 stilitatis spem (si qua sit) expectamus  
 ab Apolline, cuius oracula fiscitatum  
 missus est Creon. sed & ipse Apollo  
 λοιποὶ θεοὶ, ἀνθρώποι. Sol enim  
 aëra rarefacit & expurgat. *Idem.*

### C H O R U S.

*Luis gravitatem deplorat Chorus è Thebanis.*

Sapphici, & Anapæstici, & in fine Jambici.

*Occidis Cadmi generosa proles* 110  
*Urbe cum tota, viduas colonis*  
*Respicis terras, miseranda Thebe.*  
*Carpitur leto tuus ille Bacchi*  
*Miles, extremos comes usque ad Indos,*  
*Ausus Eois equitare campis,* 115  
*Figere & mundo tua signa primo.*  
*Cinnami silvis Arabes beatos*

110. *Cadmi*] Thebani. Hercul. Pur.  
 verf. 914. & verf. 259. *Farnabius.*

112. *Thebe.*] *Vistitator pluralis,*  
*Theba.* Sed & nomen sumpsisse à ve-  
 teri illa Thebe Ægyptia, unde Cadmum  
 orundum aſſerunt nonnulli, potius

Vi-  
 crediderim, quam à Theba, Promethei  
 vel Afopi filia. *Idem.*

116. *Primo.*] Orienti. *Idem.*

117. *Cinnamisylvas Arabum beatas*]  
 Melius Florentia: *Cinnami silvis Ara-*  
*bès beatos.* Vt Horatio: *parvoque beat-*  
*ti,*

Vidit, & versas equitis sagittas,  
Terga fallacis metuenda Parthi.

Littus intravit pelagi rubentis.

Promit h̄ic ortus, aperitque lucem

Phœbus, & flamma propiore nudos

Inficit Indos.

Stirpis invictæ genus interimus.

Labimur s̄ævo rapiente fato.

Ducitur semper nova pompa Morti.

Longus ad Manes properatur ordo

Agminis mœsti, seriesque tristis

Hæret; & turbæ tumulos petenti

Non satis septem patuere portæ.

Stat gravis strages, premiturque juncto

Funere funus.

Prima vis tardas tetigit bidentes;

Laniger pingues male carpsit herbas.

120

125

130

Colla

ti, & Statio: *Parvi beatus ruris hono-*  
*ribus.* Mox scipi illi ad unum omnes,  
qui habent, *Terga conversi,* ad unum  
omnes hic certe ineptiunt: neque ex  
ea scriptura conjectandum. *Fallaci* in  
optimo est & Vossiano. Ita autem ex-  
pliico: *& versas sagittas equitis Parthi,*  
*terga metuenda fallaci,* qui fallit deci-  
pitque homines dato tergo, sic vincere  
putantes, quum ea ipsa terga seu figura  
Parthorum maxime sint metuenda.  
*Gronovius.* *Cinnamis*] Aliisque aro-  
matum speciebus. *Farnabius.* *Silvas*  
*bazar*] Felicis Arabiae. *Idem.*

119. *Terga fallaci*] Thyeit. v. 383. *Id.*

120. *Rubentis.*] Herc. Fur. v. 902.  
& Thyeit. v. 370. unde Bacchus item  
in Greciam transtulit. *Idem.*

122. *Propiore*] Vide quæ ad ver-  
sum 600. Thyeit. *Idem.*

124. *Stirpis*] Milites Bacchi Indiae  
victoris, vel pubes Martia ab Harmonia  
Martis filia Cadmi uxore, vel Spar-  
sis oriundi, quos socios in urbe con-  
denda Cadmus sumpsit. *Idem.*

130. *Septem*] Extra urbem enim  
efferebantur, urebantur, sepelieban-  
tur. *Idem.* Quarum apud Pausaniam  
in Boët. haec nomina: *Eleætrides,*  
*Præcides, Nêrides, Crenæ,* Ogygia,  
Homoloïdes. *Deltrii.*

131. *Stat*] Longe lateque pater  
strages, plenus est stratis cadaveribus  
locus. *Farnabius.*

132. *Funerefunus.*] Lucret. *Idque*  
*vel in primis cumulabat funere funus,*  
*Deltrii.*

133. *Prima*] Recudes prius infi-  
ciuntur peste quam homines, quia de-  
iectæ ad pultum & in terram pronæ  
ræs vocadæs. *Onæbor æræmuæs* trahant,  
& ex his primum quibus odorandi  
præstantia, ut canes & muli: *gōnas*  
*€ œçrōi iwaççé € xuñas ðeyys,*  
vel etiam quod in cerebri major cali-  
ditas, quam homini. Ovid. 7. metam.  
*Strage canum primo volucrumque avis-*  
*que boumque,* *Inque feri subiti depre-*  
*sæ potentiæ morbi.* *Farnabius.*

134. *Male*] In suam perniciem. *Id.*  
135. *Col-*

Coll  
Dun  
Aure  
Lab  
Pond  
Nec  
Tur  
Segn  
Con  
Proc  
Incu  
Tau  
Def  
Tab  
Nor  
Cef  
Nul  
Per

135  
laban  
corni  
aureis  
statua  
cum.  
rus co  
aurat  
13  
hic à  
dom:  
di fu  
plus t  
sterile  
non s  
fanies  
excep  
cruon  
14  
rump  
& O

- Colla tacturus steterat sacerdos; 135  
 Dum manus certum parat alta vulnus,  
 Aureo taurus rutilante cornu  
 Labitur segnis. patuit sub iectu  
 Ponderis vasti resoluta cervix:  
 Nec crux ferrum maculavit. atra 140  
 Turpis è plaga sanies profusa est.  
 Segnior cursu sonipes in ipso  
 Concidit gyro, dominumque prono  
 Prodidit armo.  
 Incubant pratis pecudes relictae. 145  
 Taurus armento pereunte marcat.  
 Deficit pastor grege diminuto,  
 Tabidos inter moriens juvencos.  
 Non lupos cervi metuant rapaces.  
 Cessat irati fremitus leonis. 150  
 Nulla villofis feritas in ursis.  
 Perdidit pestem latebrofa serpens;

## Aret,

que in pulvere fama Degenerat. Farn.  
 145. Incubant pratis pecudes ] Flor.  
 agris. Gronovius.

135. Colla ] Stans hostia ad aram  
 Inter cunctantes cecidit moribunda mi-  
 nistros, &c. Ovid. met. 7. Farnabius.

137. Aureo ] Diis superis immo-  
 labantur vietimae coronatae, vittatae,  
 cornibus auratis & frontem bracteis  
 aureis ornatae. Idem. Virgilus : Et  
 statuam ante aras aurata fronte juven-  
 cum. Tibullus : Semper in aurato tau-  
 rus eadit hostia cornu. Juvenalis : &  
 auratam Iunoni cade juvencam. Del.

138. Patui sub iectu ] Intelligenda  
 hic à fronte particula Si: dein scriben-  
 dum: Non crux: & hæc ejusdem perio-  
 di sunt. Sin autem, inquit, non est la-  
 pus taurus, antequam cadereunt, &  
 sterit, donec collum ei separe fecuris,  
 non sanguis emicuit ex vulnere: sed  
 sanies. Vel, Alli steterunt, & iustum  
 exceperunt: sed tum non profluit  
 crux, sanies effusa est. Gronovius.

142. In ipso ] Tremulo medios ab-  
 rumpit poplite gyros, &c. Lucan. 6.  
 & Ovid. Acer equus quondam, magna-

149. Non lupos ] Non lupus infidias  
 explorat ovilia circum, Nec gregibus  
 nocturnus obambulat: acrior illum Cura  
 domat, timidi dama cervique fugaces  
 Nunc interque canes & circum recta  
 vagantur. Virg. Georg. 3. Farnabius.

151. Nulla villofis ] Ursis densita-  
 tem cutis & tergoris, ut propriam tri-  
 buit Seneca lib. 2. de benefic. Quarun-  
 tur quod non magnitudine corporis aqua-  
 mus elephatos, velocitatem cervos, levitate  
 aves, impetu tauros: quod solidior  
 sit cutis bellus, densior ursis, mollior si-  
 bri: quod sagacitatem narium nos canes  
 vincant; quod acie lumen aquile,  
 spatio atatus corvi, multa animalia nan-  
 dis felicitate. Deltius.

152. Perbibit pestem ] Frustraten-  
 rat explicare Gruterus. Perdidit Del-  
 ti non est supervacua conjectura, sed  
 manus inculpatarum membranatum,  
 quibus

Aret, & sicco moritur veneno.

Non silva sua decorata coma

Fundit opacis montibus umbras.

Non rura virent ubere glebae.

Non plena suo vitis Iaccho

Brachia curvat.

Omnia nostrum sensere malum.

Rupere Erebi claustra profundi

Turba fororum face Tartarea:

Phlegethonque sua motam ripa

Miscuit undis Styga Sidoniis.

Mors alta avidos oris hiatus

Pandit; & omnes explicat alas.

Quique capaci turbida cymba

155

160

165

Flu-

quibus accedunt Vossianæ: & præcedentes versus clamant verum esse. Initatus Prudentius Catem. 9. de alio angue: & felli perusti mox venenum perdidit. Gronovius. *Latebroſa*] Sic Maro: *Interit, & curvus fruſtrā deſenſa latebris Vipera, & attoniti ſquamis adſantibus hydri.*

156. *Non rura virent ubere glebae.*] Si qua me ſubornaret antiqua manus, facile admirerem, nitent. Virgilus 1. Georg. interque nitentia culta *Infeſtix tolium*. Cicero 3. in Verrem: *quos ego campos antea colleſque nitidifimmoſ viridiſimmoſe vidiffem*. Petronius: *ubi domefacta aratru tellus nitet*. Gtonivius.

160. *Rupere*] *Savit & in lucem* Stygiis emissa tenebris Pallida Tifſphone morbos agit ante. 3. Georg. *Farnabius*.

161. *Turba*] *Futiarum agmina. Hercul. Fur. verf. 87. Idem.*

162. *Plegethonque*] *Fluv. ardens;* Thyell. verf. 73. atque hujus, propter ardorem pestilentiae, meminit. *Idem.*

163. *Miscuit*] *Miscet terras infernales aquis Thebanis, Cadmus autem ē Sidone venit. Herc. Fur. v. 916. Idem. Styga*] *Venenatis aquis Stygia*

palidis, amnes, fontes, puteos inficit. si ali poëte: Claudianus in Ruhn, lib. 1. *Ac velut infecto morbus crudescere calo Incipiens, primo pecudum depaſcitur artus, Mox populos, urbesque rapit; ventisque perutſia, Corruptor Stygiæ peste diffundit in amnes.* Silius: *Et patulam Cyanem, lateque palustribus undis stagnante Stygiæ Cocytum implevit odore. Styx, fons Arcadiæ pone Nonacrum, aquam haber, nimio fure, letalem; adeo corrosivam, ut omne metalli genus perfingat, ſolaque nuli vel afni unguilæ queat conteneri. testibus Plutarcho in Alexandro, Ariano lib. 7. de gest. Alex. Plinio lib. 30. cap. 16. & Iuſtino lib. 12. Stygiæ ergo aquam pro ipsâ morte videatur, vel quovis deleterio sumere: & fungit faſlam hujusmodi commixtionem; quia docet experientia, aquarum corruptione pestilentia vim latifimè proferpere. Delvius.*

165. *Explicat*] *Metaph. vel quod Mors, ut & ſomnus frater ejus, alata fingitur, ut quæ celeriter & inopinato veniat. Farnabius.*

166. *Quique*] *Charon Stygius portitor. Idem.*

167. Dic.

Flun  
Navi  
Brac  
Feffu  
Quin  
Rupe  
Erra  
Vag  
Majo

167  
Nefſci  
dus, q  
ron. Sc  
lud pa  
tiaſis.  
Perthm  
do: u  
Navia  
da deo  
quibus  
Deliu  
dem li  
meret  
ωμην  
171  
rupiſſe  
ad Ter  
verſi  
runt e  
Tana  
enecar  
que hu  
produ

173  
Errare  
gatur.  
ſlis, n  
in Loin  
Proco  
Muſiſ  
omine  
Trajan  
ſis lib.  
plurim  
cedit.

Flumina servat durus senio  
Navita crudo, vix assiduo  
Brachia conto lassata refert,  
Fessus turbam vectare novam. 170  
Quin Tænarii vincula ferri  
Rupisſe canem fama, & nostris  
Errasse locis : mugisſe solum:  
Vaga per lucos simulacra virūm  
Majora viris ; bis Cadmeum 175

## Nive

167. *Durus senior, Navita crudus,*] Nefcire Delrius ait, unde N. illud crudus, quum ipſe retineat, *Navita Charon.* Sed hoc fæde vitiat verbum : illud passim occurrat in codd. minus viatatis. Gruterus inde speciose : *Navita Porthmeus.* Reperi in Germanico, crudus : unde facile conjectu : *durus senio Navita crudo* : vel ob Virgilii, *sed crudus deo viridisque senectus*, & Taciti, quibus cruda ac viridus senectus : que Delrius adduxit. Inveni postea totidem literis in Florentino. Lucianus in mercet. *Φαραγγίς, Σύρο τὸ Χρώματικόν τὸ συμπεπληγμένον.* Gronov.

171. *Quin*] Fama est Cerberum rupisſe ferream catenam qualigatus est ad Tænatum, de quo in Hercul. Fur. vers. 589. cui fabule occasionem fecerunt dedisse serpentem quendam in Tænato, quem quod morsu è vestigio emecaret *αὐτὸς νεύσα* nominarunt, atque hunc ab Hercule ad Eurykleum productum. *Farnabius.*

173. *Errasse locis;*] Nec male Flor. Errare locis. ut etiamum fieri intelligatur. Gronovius. Hoc tempore pestis, multi credebant contingere, & in Loimographiâ dabimus exempla ex Procopio, Cedreno, Sigilberto. *Delr. Mugisſe solum :*] De Mugitus terræ omine, testis etiam Dion, in Tito, in Trajano, & in Severo, & Sariberiensis lib. 1. Polycratici in fine : Sane ut plurimum luem hanc terræmotus præcedit. Effici autem sub terra sonitus,

qui mugitus imitantur, quod pro portento quidam atripiunt, id naturale esse, & ab inclusis exhalationibus, percussis vel percutientibus, provenire docet Attifoteles lib. 2. Meteor. c. 8. Idem.

174. *Simulacra virūm*] Vel quod ita fætes habeat, vel quod in cladiibus publicis metus ipſe faciat hujusmodi apparet. Dion, in Tito, auctor est, exundante incendia Vesuvio, homines giganteas magnitudinis interdiu, noctuque per urbes oberrasse. idem confirmat in Trajano. Pro prodigio hoc habuerunt etiam alii. Petronius Arbitter : *Ecce, inter tumulos atque ossa arenaria busti, Vmbrarum facies dirō fridore minantur.* Lucanus, libro 1.

— venientes continuus umbras. Item : *Tollentemque caput gelidas Aniem ad undas, Agricola fracto Marium videre sepulcro.* Dionys. Halicarnass. lib. 8. sub finem, scribit, Romæ observata multa prodigia, Deorum iram nuntiantia ; exauditas ominofas voces incerto auctore, observatas oculis novas spectrorum facies, & haec oculis arque auribus hominum sapè oblata. & 1.10. celum atissime, terram cum mugitu tremuisse, varias spectrorum facies horrendaque voces auribus arque oculis hominum frequenter exceptas. Idem.

175. *Majora*] Thyest. 671, & quæ seq. à versu 666. *Farnab. Cadmeum*] Thebanum, in quo Cadmus serpentem interfecit, terræ mou tremuisse. Idem.

177. *Dir-*

Nive discussa tremuisse nemus,

Bis turbatam sanguine Dircen:

Nocte silenti

Amphionios ululasse canes.

O dira novi facies leti,

Gravior leto! piger ignavos

Alligat artus languor; & ægro

Rubor in vultu, maculæque caput

Sparsere leves: tum vapor ipsam

Corporis arcem flammeus urit;

Multoque genas sanguine tendit.

Oculique rigent, & facer ignis

Pascitur artus. resonant aures

Stillatque niger naris aduncæ

Cruor, & vénas rumpit hiantes.

180

185

190

Inti-

177. *Dircen*: ] Theb. 20. &c 126.  
manæsc fontes sanguine. *Farnabius*.

179. *Amphionios*] Thebanos, ab  
Amphione. Hercul. Fur. vers. 260. &

914. *Idem*.

180. *O dira*] Describit pefcis notis  
& symptomata.

181. *Piger*] Infecto corde, vires  
omnes præcipue vitales infringuntur  
& spiritus languent. *Farnabius*.

183. *Rubor*] Flammæque latentis  
(id est, vehementis caloris morbi)  
*Indicium rubore est, & ductus anhelitus*  
*igni*. *Idem*. *Maculaque*] Pustulae, &  
exanthemata purpurea, nigra, viridia.  
*Idem*.

184. *Vapor*] Terti vapores & cali-  
di sublati cerebrum incendunt, gra-  
vantque caput, in quo tanquam in arce  
& specula locavit Deus sensuum organa,  
mentisque & rationis sedem. *Id.*

186. *Multoque*] Tument distente  
sanguine gena. *Idem*. *Genas sanguine*  
*tingit*.] Cum Lipfiano optimus, ten-  
dit: & verum est. *Statius* i. Theb.  
Tenditur ac sanie gliscit cutis. Mox  
idem: *jamque amplexu*, ut *Fabricius*.  
*Gronovius*.

187. *Oculique*] *Oculos stupor uret*  
inertes. *Farnabius*. *Sacer ignis*] Ery-

spelas, Herpes, quem, cum tumor sit  
é ferventi sanguine ortus, pro peste po-

nit vel pefcis comite. *Idem*. *Virgilius*:

— contactus artus facer ignis edebat.  
Quo loco male Servius putavit, sa-

crum ignem esse; quem Græcis ἵερον  
υόστι vocant. cum isχεὶ νόσῳ, teste

Hieronymo Mercuriali in variis lec-

tionib. nihil fit aliud, quam epilepsia:  
ignis vero facer apud Latinos idem sit,

quod apud Arabes formica, apud Plini-

um. *Zoster* & *circinus*, apud Scribo-

nium. *Zona*; de quo Plato egit 2. de legi-

bus. Græcis ἱέρεις vocatur; cuius quo-

quo sint genera, ex Gorro petas.

Portò sacri ignis, seu herpetis vini

optime declaravit Lucretius libro 6.

*Exurit facer ignis & urit corpora serpens*

*Quamcumque arripiuit partem, repisque*  
per artus. *Delrius*. *Sacer ignis*] Exe-

cranda pefcis.

188. *Resonant*] *Solicitæ porro ple-*

*naque sonoribus aures*. *Lucret*. *Farnab*.

189. *Stillatque*] *It naribus atet*

*Sanguis*, proprie corruptionem & hu-

morum adiunctionem, *Idem*.

191. Inti-

Intima creber viscera quassat  
 Gemitus stridens. tunc amplexu  
 Frigida presso saxa fatigant:  
 Quos liberior domus elato  
 Custode finit, petitis fontes,  
 Aliturque sitis latice ingesto. 195  
 Prostrata jacet turba per aras,  
 Oratque mori. solum hoc facilis  
 Tribuere Dei. Delubra petunt:  
 Haud ut voto numina placent,  
 Sed juvat ipsos satiare Deos. 200  
 Quisnam ille propero regiam gressu petit?

Ad-

191. *Intima creber*] *Imaque longo*  
*ilia singultu tendunt*, ob ventriculi  
 convulsionem. *Farnab.* ait Virgilius:  
*Tum verò ardentes oculi*, atque attrahens  
*ab alto Spiritus interdum gemitu*  
*gravius*, *imaque longo* *ilia singultu tendunt* — *Creber*] *Quia teste Hippo*  
*crate*, πέντε πυκνοὶ μὲν ἔοντα πάνον  
*ογκίσιες*, οὐδὲ φλεγμωνίας τοῦτο  
*παρέρ ταῦ Φρενῶν χρεῖσθαι*. confirmit  
 hoc Thucydides. *Delrius*.

192. *Tunc*] *Interior astuentes re*  
*frigetum petunt*, marmora amplexan  
 tes, & humi strati. *Non stratum non*  
*ulla pati*, &c. Ovid. 7. metam. *Nec*  
*sit corpus humo gelidum*, *sed humus de*  
*corpori feret*. *Farnabius*.

193. *Quos liberior*] *Aegri assumpta*  
*libertate ex morte moderatorum*, qui  
*eos curabant, Fontibus & fluvio* pu  
*teisque capacibus harent, Nec stis est*  
*extincta prius quam vita bibendo*. Id.

194. *Custode finit. petit is fontes,*]  
 Dupliciter hic peccat Scaliger, & di  
 finitione mutata & vocibus. Hac  
 enim, *Quos liberior*, ad sequens mem  
 brum pertinet, non ad prius. Quid an  
 domi faxa non erant, quæ possent ampli  
 cit? an id prohiberet custos? Quam  
 bellum vero, *petit is fontes?* Immo, qui  
 morte custodum liberi possunt evadere  
 ex ædibus, eos ad aquas publicas pro

perasse dicit. *Petitis fontes*, ut Agam.  
*Cum Dardana tēcta Dorici rapereis*  
*ignes*. Et in Octao Nutrix magican  
 artem promittens: *Habuere motum*  
*saxa, discutifores, Vmbrā pectistū*. Iter  
 rumque qui Pindum ferunt, *Aut te, Offa*. Sic, *petitis fontes*, est, petunt  
 fontes. *Gronovius*. Ovidius: *Fonti*  
*bis & fluvii pateisque capacibus harent*,  
*Nec stis est extincta prius*, quam vita,  
*bibendo*, idem Thucydides & Proco  
 pius lib. 2. de bello Persico. *Farnabius*.

195. *Hoc facilis*] *Mori*. *Idem*.

196. *Delubra petunt;*] Sophocles  
 ait infinitos ante aras & delubra fe  
 prostravisse: & Lucretius, *Omnia de*  
*nique sancta deum delubra repletar*. *Cor*  
*poribus mors exanimia, onerataq; pa*  
*cina*. *Cuncta cadaveribus colestum templo*  
*manebant Hospitibus, loca qua comple*  
*rant edituentes*. *Delrius*.

197. *Haud*] *Deplorata quidem fa*  
*lutis sua spe*, *sed ut Diis exprobraent*  
*crudelitatem*. *Farnabius*.

198. *Quisnam ille propero*] *Hic no*  
*vam orditur scenam liber optimus*  
*præfigitque personas*: *O E D I P V S.*  
*C H O R O V S.* *C R E O.* *tresque pri*  
*mos versus Oedipo assignat, quartum*  
*Adest petitus, Choro. Eidem tribuit*  
*vers. 212. Reffonsa, & 214. Ambage.*  
*Gronovius*.

Adestne clarus sanguine ac factis Creo?  
An æger animus falsa pro veris videt?  
Adest petitus omnibus votis Creo.

205

203. *Clarus*] Iocastæ frater. *Farn.* I 205. *Petitus*] Suprà vers. 109. *Id.*

## ACTUS SECUNDUS.

## OEDIPUS. CREON.

*Reversus Delphis Creon nunciat jubere Deum ut mors Laij expurgetur,  
nec prius cessaturam pectem, quam in exilium mittatur interfector  
eius; de quo, quia non nominatur, ambigitur.*

Trimetri Jambici, & Tetrametri Trochaïci, & quidam  
heroici hexametri.

Oed. **H**orrore quatior, fata quo vergant timens,  
Trepidumque gemino pectus eventu labat.  
Ubi lœta duris mista in ambiguo jacent,  
Incertus animus scire cum cupiat, timet.  
Germane nostræ conjugis, fessis opem 210  
Si quam reportas, voce properata edoce.  
*Creon.* Responsa dubia sorte perplexâ latent.  
Oed. Dubiam salutem qui dat afflictis, negat.  
*Creon.* Ambage nexa Delphico mos est Deo  
Arcana tegere. Oed. Fare; sit dubium licet:  
Ambigua soli noscere Oedipodæ datur.  
*Creon.* Cædem expiari regiam exilio deus,  
Et intererentum Laium ulcisci jubet.

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215

215